



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Responsum Auctoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

116 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.
Quosque peperere mentis inclytæ fetus,
Legis in familiam, & nuncupas adoptivos:
Te jure PATREM dixerim POETARUM.

RESPONSUM AUCTORIS.

SI dignitatem, si meretur hoc nomen,
Poëta Princeps, principum Poëtarum
Cultor vocari dignior, Tibi grates
Multa rependit cum salute, VILTHEMI,
Musis amicus quod suis, ADOPTANTEM
Præclara Vatum dona, se POETARUM
PATREM vocasti. Tute verius dici
Omnis Leporis, omnium Venustatum,
Antiquitatis omnis atque Doctrinæ
Pater mereris, qui tot editis libris,
Plausu secundo per virum volans ora,
Asseris Olympo, fortis exitu vitæ,
Pietate, regno nobiles Dagobertos;
Et Maximini facta, maximus scriptor,
Perennitate digna Præfulum facta,
Celata longa nocte, consecras Famæ:
Merito vocandus Patriæ Pater; vitam
Dias in oras luminis, sepulorum
Oblivione lividæ vetustatis,
Patriæ piorum dum reducis Heroum.